



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 56. Res Helveticæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

clesiasticis Imperii Principibus præfer- Sæc. XVIII.  
 tim Archiepiscopis eorumque Suffra- A. C. 1728.  
 ganeis præjudiciosa oriri possent, &  
 facile contingere valeret, ut alii quo-  
 que Episcopi forte Cæsareis literis com-  
 mendatitiis muniti sese pariter juri Me-  
 tropolitico subtrahere molirentur, hinc  
 Salisburgensis Archiepiscopus confidit,  
 fore, ut ceteri quoque Ecclesiastici Ele-  
 ctiores ac Imperii Principes hac in re  
 cum eo communem facturi causam,  
 junctisque viribus ac consiliis effecturi  
 sint, ut tam grave præjudicium tolla-  
 tur, & audita etiam læsa parte secun-  
 dum juris formam hæc causa dijudi-  
 cetur: Ut id autem eo promptius fie-  
 ret, Archiepiscopum vehementer de-  
 siderare aiebat, ut literæ omnium no-  
 mine, ac debita reverentia scriptæ ad  
 Papam transmitterentur &c. Atta-  
 men hac in causa nullum aliud exstat  
 Cæsareum decretum, forte quod ipse  
 Imperator Passaviensi Episcopo patro-  
 cinaretur, & aliunde hæc controver-  
 sia, ad summum Pontificem spectare  
 videretur, nec ex concessa exemptione  
 quicquam Romano Imperio, ejusque  
 systemati vel juribus detractum esset.

§. LVI.

*Res Helveticæ.*

Hoo

Sæc. XVIII.  
A. C. 1728.

**H**oc rursus anno die vigesima quinta Februarii de tollendis diffidiis, quæ inter Constantiensem Episcopum, & Tigurinos ac Bernenses Calvinistas uno & amplius anno fervebant, Diefenhovii serio agebatur: Aderant Episcopi nomine Joannes Balbach Cancellarius, & Sebastianus Hahn Cathedralis Capituli Syndicus: Tigurini vero Salomonem Hiezel, & Ulricum Nabholz, ac demum Bernenses ablegabant Joannem Tillier, & Rudolphum Sinner: Præcipua, quæ tum agitabatur, controversia erat circa duas urbes, Arburgum & Episcopi - Cellam; utraque enim Catholicis erat propria, a pace autem Araviensi eas Episcopus Constantiensis communiter cum Tigurinis & Bernensibus possederat, quamvis Calvinistæ non modo in Senatum & officia publica suæ sectæ Viros intruderent, sed & in sacra quoque grassati, Ecclesiasticos suis fructibus spoliarent, eosque suis Prædicantibus attribuerent. Præterea Episcopum Constantiensem jurisdictione, qua temporali, qua Ecclesiastica privarunt, quamvis Eidem utramque ex antiquissimo jure competere, manifestum esset. Ut ergo hisce violentiis tandem finis imponeretur, urgebant vehementer Constantienses Deputati, ac demum die decima Maii cum

cum Bernensibus & Tigurinis trans-  
 actionem inierunt, vi cuius Arburgum Sæc. XVIII.  
 & Episcopi Cellam Constantiensi Epi- A. C. 1728.  
 scopo cedere tenerentur, salva tamen  
 ibidem secta Calviniana. Sublato prin-  
 cipalis diffidii capite, circa Sacra &  
 civilia plures conditi sunt articuli, &  
 quidem quoad res Ecclesiasticas utrin-  
 que conventum I. ut civiles Matrimo-  
 niales controversiæ circa Calvinianos,  
 necnon dispensationes Matrimoniales  
 Episcopi-Cellæ, & Arburgi a Tigu-  
 rino Iudice dijudicarentur. II. Si ta-  
 men de multa partibus imponenda  
 ageretur, tunc id a Tigurino Iudice  
 Constantiensi Prætori scriptotenus si-  
 gnificaretur, & pecuniariæ multæ ei-  
 dem Prætori dependerentur. III. Ut  
 litigantes ejusmodi partes a solo Con-  
 stantiensi Prætoře citarentur, testes-  
 que, præsentibus tamen duobus Cal-  
 vinistis, exciperentur. IV. Ut Calvi-  
 nistæ ulterius Arburgi scholam suam  
 aperire possent, & Ludimagister Cal-  
 vinianus salarium cum Catholico æqua  
 parte haberet, & a ipsis Calvinistis,  
 præsentem tamen Prætoře Catholico,  
 eligeretur, e contrario autem Catho-  
 licus a solo Catholico Consule institue-  
 retur. V. Calvinistis concederetur,  
 ut si opus esse videbitur, fontem ba-  
 ptismalem prope mensam suæ Cænæ,  
 præ-

**Sæc. XVIII.** præmonito tamen Prætorè Catholico  
**A. C. 1728.** erigere valeant. VI. Calviniano Se-  
 natui liberum effèt, ædituum, præ-  
 sente tamen Prætorè Constantiensi,  
 constituere, cui clavis ad Ecclesiam &  
 Campanile, non tamen ad Chorum  
 concederetur: ædituo autem Catho-  
 lico in compensationem illius, quod  
 Calviniano attributum fuit, mox vi-  
 ginti floreni & postmodum annue toti-  
 dem ex communi ærario persolvantur,  
 gramen vero, quod in cæmeterio suc-  
 crescit, ambo æditui æquis partibus  
 inter se dividant. VII. Campanæ &  
 Ecclesiæ (non tamen Chori) usus sine  
 Religionis discrimine tam Catholicis  
 quam Calvinistis sit communis, & of-  
 ficii Divini horæ ita distribuantur, ut  
 neutra pars alteram in suæ Religionis  
 exercitio impediât. VIII. Calvinistis,  
 si bene visum fuerit, Ecclesiam am-  
 pliari, integrum quidem sit, ita ta-  
 men, ut nec a veteri forma, nec a  
 pacto Anni 1457. recedatur, cunctaque  
 inspiciente Prætorè Catholico fiant.  
 IV. Calvinistæ festos Catholicorum dies  
 celebrare non teneantur, quando ta-  
 men Sacra Hostia in Supplicatione  
 circumfertur, debitam reverentiam ex-  
 hibere, caputque detegere obstricti sint.  
 X. Qui a sua Religione deficit, inca-  
 pax sit illius officii, quo ante suum  
 tran-

transitum functus erat &c. His pactis Sæc XVIII,  
A. C. 1728.  
mutuo utrinque consensu, firmatis com-  
mitia Badenæ ad diem octavam Julii  
habenda indicebantur, quibus Cæsa-  
reus Orator Comes de Riefenfels, Mar-  
chio de Bonaco Gallicus, & Comecus  
Hispanns Legati intererant, & Valle-  
siani cum Cantonibus Catholicis *fædus*  
*aureum*, ut vocant, de Religione Ca-  
tholica conservanda ac defendenda e-  
rectum innovarunt.

Vix hæc controversia erat compo-  
sita, cum Calvinistæ pro seditioso suæ  
sectæ genio rursus aliam litem contra  
Catholicos suscitarent; mortuo enim  
Udalrico L. B. De Federspiel S. R. J.  
Principe & Episcopo Curiensi, Ca-  
thedrales Canonici die decima quinta  
Decembris Josephum Benedictum L. B.  
de Rost unanimi suffragio in Successo-  
rem elegerant: Re comperta mox Gri-  
sones Calviniani novas turbas & rixas  
concitare moliebantur, caussati, hunc  
genere Teutonem esse, ex veteri au-  
tem Grisonum privilegio ad hanc di-  
gnitatem nullum, nisi natione Rhæ-  
tum eligi posse; insuper Calvinianus  
*Domus Dei* Magistratus suos ablega-  
bat Deputatos, qui eadem die, qua  
electio fieret, Apostolicum Papæ Nun-  
tium & Canonicos jamjam in Capitulo  
congregatos accessere, & qua precibus,  
qua

Sæc. XVIII. qua minis ad electionis locum admitti  
 A. C. 1728. postularunt, ubi rursus non alium,  
quam in Republica natum eligi  
 petierunt, solemnique ritu cun-  
 ctis, quæ inde eventura essent in-  
 tercesserunt, palam declarantes, se  
 nunquam pro Episcopo habituros, si  
 alienigena eligeretur. Verum insuper-  
 habita frivola horum oppositione Ca-  
 nonici in exterum suis suffragiis con-  
 spirabant, non modo Cæsaris prote-  
 ctione tuti, sed & veteri pacto innixi,  
 vi cuius jam Anno 1620. stabilitum e-  
 rat, quod etiam Germani *beneficio* eli-  
 gibilitatis gaudeant; quocirca Proce-  
 rum potissimi Neo - electum honori-  
 fica gratulatione venerabantur, sola  
 tamen Curiensis Civitas potissimum  
 Calviniana haud exiguas deinceps  
 molestias Episcopo facessebat, & ut  
 seditiosum, quo animabantur, genium  
 luculentius proderent cives, contra  
 ipsum suum Senatam insurgabant. Nec  
 magis humanos sese Tigurini ac Ber-  
 nenses exhibebant erga Catholicos;  
 quamvis enim hi injuste sibi nupero  
 bello erepta, & hucusque contra da-  
 tam fidem usurpata tandem restitui  
 peterent, nihil tamen ab ipsis præter  
 aspera verba, durasque vexationes im-  
 petrare poterant: Cum vero Marchio  
 de Bonac Gallicus Orator Regis sui  
 no-

nomine Calvinistas acrius urgeret, ut tandem æquis Catholicorum postulationibus deferrent, Badenum Comitatum & Urbem se reddituros spondebant, paulopost tamen sui promissi immemores, aliena detinere continuaverunt, caussati, quod Catholici Calvinianæ sectæ exercitium in restitutis urbibus omnino eliminare molirentur: Nil ergo spei reliquum erat Catholicis, nisi ut pro recuperandis suis juribus, ac ditionibus ad Sueffionensem Congressum recurrerent, suasque necessitates Catholicis Principum Legatis illuc agentibus perimpense commendant.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1728.

§. LVII.

*Jansenistæ in plures factiones  
scissi.*

Sub idem tempus Parisiis innotuit, Jansenistas in Hollandiam olim profugos schismate inter se exorto in plures abire sectas, acriterque inter se dimicare: nec id mirum; raro enim Sectariorum factio diu concors atque unita subsistit; sua quippe incunabula schismati debet, unde sequitur, quod, cum adoleverit, non alias proles, quam nova progerminet schismata, quibus ejusmodi Sectarii in plures factiones

*Hist. Eccles. Tom. LXXII. Yy scissi,*